

ex potentiâ & actu. Et hoc quidem circa descriptionem  
 a ctus absoluti ut sic desiderant. Alterum est circa po-  
 sterioris distinctionis membrum, quando actum absolu-  
 tum distinguebant in absolutum simpliciter, & secundum  
 quid. Hanc actus absoluti secundum quid descriptio-  
 nem rejiciunt ob duplicem causam (a) quia si actus se-  
 cundum quid diceretur quodcunque ens, habens ali-  
 quam actualitatem, quatenus extra nihil est, etiam com-  
 posito substantiali, quatenus est extra nihil, conveniret  
 appellatio actus (absoluti) (b) quia Rada asserit, quic-  
 quid in hac significatione sit actus, dici posse actum enti-  
 tativum. At, inquiunt, actus entitativus est actus, non  
 absolute, sed respectivo sumptus, cum dicatur in ordine  
 ad potentiam objectivam, eique correspondeat. Hinc  
 concludunt: Nos tantum admittimus actum absolute  
 dictum, & non actuantem, quem ille appellat simpliciter  
 talem, qui est substantia simplex & completa, quales  
 sunt Deus & Angeli.

§. 12.

Si, quid sentiamus de hac re, dicendum, videtur hæc  
 lis maximam partem in explicatione terminorum con-  
 sistere, & non nisi de nomine contendere. Si quis enim Radæ  
 & Svarezii sententiam tueri velit, dicere poterit com-  
 positam substantiam utique esse actum & in ipsorum sen-  
 tentia hoc non esse absurdum. Nec pugnare cum hac  
 doctrina, quod composita substantia constet ex potentiâ  
 & actu, cum diversus respectus hanc pugnam facilimè  
 tollat, & utrumque diverso respectu verum sit. Ad il-  
 lud, quod dicunt Actum entitativum non esse absolutum  
 sed respectivum, videri potest, certo sensu id esse verum,  
 certo id esse falsum. Actus entitativus enim dupliciter  
 spectari potest (1.) in ordine ad potentiam objectivam,

B 3 &